

Z c
2497

FL 112.

PL. 112
31.

V. 738.

M E M O R I A M
V I R I
A M P L I S S I M I A C P R V D E N T I S S I M I
IOANNIS FRIDERICI
KRVMBHARII
SENATORIS CIVITATIS LIPSIENSIS
CENTVRIONIS VRBANI
ET MERCATORIS PRIMARII

A. D. XV. AVGUSTI A. C. CICICCLXIV.

REBV S HVMANIS EXEMTI
COMMENDAT
R E C T O R
VNIVERSITATIS LITERARVM
LIPSIENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.



G. D. Junius.

M E M O R I A M
V I R I
A M P L I S S I M I D O P R A D E N T I S S I M I
I O A N N I S F R I D E R I C I
K R U M B H A R N
S A N C T O R I S C I V I TAT I S L I T S I E N S I S
C U L T U R I O N I S A R D I N I
T H E M R A C T O R I S T R I M M I
A M P L I S S I M I D O P R A D E N T I S S I M I
I O A N N I S F R I D E R I C I
K R U M B H A R N
U N I V E R S I T A T I S L I T S I E N S I S
L I B R E R I A



In Ciuitate ea, quae mercatura fama allexerit quoniam fugientes e Bohemia finibus literas, iisque comodius multis et magnis rebus, iucundiusque domicilium praebeat, quam quocunque alio in loco habeant, in qua denique, ut ille in Campania dixit esse *Bacchi Cererisque certamen*, sic recte dicas esse *Certamen Musarum et Mercurii*: in ea igitur honestum est literis, sua, hoc est, laudis praemia; non modo his impertire, qui artibus doctis bene tractandis colegerint opes ingenii, per quas docte liberales esse in alios, ornare Ciuitatem suam literarum possint, sed etiam his, qui, mercatura perite, laboriose ac diligenter, honeste, feliciter denique exercenda, diuitias comparauerint, quae prosunt suis, possint seruire iuandis multis, ornandaque Vrbi et Patriae communi. Ex quo genere nuper fuit IO. FRIDERICVS KRVMBHARIVS, Senator Ordinis Amplissimi, Mercator autem e primariis, planaque ad normam CICERO^{NIS}, ad quam dirigi mercatura facienda modum voluit, vt honesta esset, et iure posset laudari.

Neque enim CICERO illam asperam et abhorrentem ab humanitate, verbisque magis quam rebus speciosam sapientiam probauit, quae mercaturam e republica vitaque humana tolli vellet,

let, ut matrem vel nutricem vitiorum, quae LYCVRGIS ratio fuit, probata PLVTARCHO, haud paullo maioribus iudicibus, PLATONI, ARISTOTELI et POLYBIO improbata. Etenim lenitati Platonicae et Aristoteleae adsuetus, sapientiam non modo magnas et severas, sed etiam humanitatis memores sententias loqui voluit. Et est in illis plerumque plus vanitatis superbae, decipientis aures verbis sonoris, in his plus veritatis modestae, iuuantis animum salubritate rerum. Necessestas profecto ipsa non modo innocentem pronunciat mercaturam, sed etiam honestam. Eam autem necessitatem cum multis aliis PLATO, etiam in ea republica, (*de Rep. II. p. 371.*) agnoscit, quae magis ad philosophiae subtilitatem, quam ad vitae popularitatem accommodata existimatur. Nec vero discidium a natura habet mercatura cum honestate, iustitia, temperantia, nec necessario ex se gignit vitia, aut, si tamen gignit, sua propria culpa gignit, nec denique sola vitia, sed etiam materiam luculentam dat virtuti, in qua se multis modis, cum magna laude sua et utilitate aliena, exerceat, et parat reipublicae et praesidia securitatis tuendae, et copias ornandae.

Cupiditas humana per insitam prauitatem fertur illa quidem ad vitia, sed non velut cum delectu quodam vnius generis, cuius materia et opportunitate sublata, vel tollatur vel coerceatur ipsa. Ruit etiam in contraria, vtque res se et occasio dederit, ita vel ad profusionem vel avaritiam incumbit, vere Proteus, et omnium formarum monstrum. Itaque nisi diuinae sapientiae et auxilii coelestis viribus frangatur et in ordinem redigatur, frustra ab una parte obstruere coneris; nam ab mille aliis erumperet: frustra vnius vitii materiam detraxeris; aliam alias vitii quaeret, et nimis cito reperiet: denique non oppressa iacebit, sed latebris fallacibus absconsa speculabitur tempora sua, quibus liberius euagetur. Ac fortasse reipublicae profuerit interdum, cupiditatis impetum
alio

alio conuertere, vbi minori cum incommodo publico, certe pro tempore, insaniat, materia ei, velut igni, subtrahenda: ad virtutem, non dicamus vniuersam, sed qua parte opposita est vitiosae cupiditati, nihil profuerit. Quod praeclare demonstrat in reprehensione Laconicae ab LYCVRGO disciplinae ARISTOTELES, *Polit.* II, 9. docetque, ab ademtis intemperantiae, magnificentiae, auaritiae, per conuictum communem et proscriptam mercaturam, alimenteris, et necessitate abstinentiae, alia virtus esse inducta, etiam intolerabiliora.

Virtuti profecto nulla necessitas bene consulit, citiusque irritat vitiosam cupiditatem, quam debilitat aut coerget. Nam libram se virtus et velut ingenuam censet: nec ex parte curari vult, sed vniuersa. Itaque non utitur libenter magistris Politicis, qui raro vniuersam salutem hominum virtutemque amplectuntur consiliis et institutis suis, sed in partium earum veluti visco adhaerescunt, quas, quacunque de caussa, maxime adamauerunt. In quo ipso rectissime LYCVRGUS aduersus voluptatem et luxuriam leges reprehendit PLATO, *de Legibus*, I. p. 635. et libro secundo latius; quod, dum fortitudinem eam, quae in molestiis a paupertate, ab labore, a dolore tolerandis cernitur, institutis suis curaret, neglexisset alteram, quae est in voluptatis illecebris vincendis ac spernendis. Atqui haec est etiam maior et illustrior fortitudo; quod in illa fortitudine adfuetudo patiendi plurimum valet, in hac nihil admodum, ac risusque sunt morsus a voluptatis dulcedine, quam ab molestiarum acerbitate. Sed ille rem militarem amplexus vnam, dum fortitudini consulit ei, quae cum illa maxime esset coniuncta, alteram defseruit ac destituit.

Nec huius virtutis vnius immemorem disciplinam Lycurgus sanxit, sed etiam alias, in primis liberalitatis et beneficentiae, cuius facultatem praestant copiae, ab mercatura aliisque artibus quae-



stuosis ortae, quas omnes pariter ademit suis. Quid autem est, beneficentiam tollere, nisi partem virtutis humanissimam et iucundissimam, immo ipsius humanitatis partem abscindere. Nam ut sitis commendat potum, sic inopiae sensus quicquid acceperis, et nullum aliud exquisitus condimentum bonorum habet natura rerum, quam ab amore et misericordia praebentium: nec liberalior est voluptris animi, quam quae beneficiis largiendis venit. Quod enim existimet quis, ut est apud XENOPHONTEM, de Rep. Laced. p. 682. glorioius esse, per corporis laborem benefacere, quam sumtu faciendo et erogando; quod in illo animi, in hoc copiarum opus sit: id ipsum speciosius est verbis quam re, ut cetera, quae ibi pro tota illa ratione dicuntur, omnia. Nam facultas beneficiandi per impensas, est illa quidem a diuitiis et copiis, sed beneficia ipsa et impensa sunt animi, non copiarum. Et difficilior homines per arcae suae copias benefacere, quam per animi consilium et corporis laborem, quis ita expers est usus communis, ut nesciat?

Quod si pars humanitatis est, quae est profecto permagna, sensum habere munditiae, elegantiae, pulchritudinis, eam appetere in aedificando, in vestiendo, in toto reliquo vitae cultu, eaque transit ab sensibus ad animum, ad sermones et actiones omnes; eam sane propemodum omnem cum copiis illis abegisse legislatorem in promtu est. Non eloquentia ibi ulla, non poëtica, velut in media barbarie, nihil uspiam, nec publice, nec priuatim, ab artificio ulli visendum; nihil, quod allicere externos, quod retinere posset; nihil propemodum, quod non abalienaret, quod non fugaret, qui cunque sensus fatis humanos attulissent.

Et in copiis illis LYCVRGO improbat et repudiatis magno praesidio ad res gerendas priuatam fuisse Spartam, et res ipsa docet, et praecclare demonstrat vir πολιτικάτος, POLYBIVS VI, 47. f. Nam bellis impliciti Spartani, primum necessario, defendendae ad-
uer-

uersus Persas libertatis cauſa, deinde auditate imperii, pecuniaris caruere copiis, quibus non minus bella geruntur, quam armis et hominum vi, eamque ob cauſam coacti sunt ad indignitates omnes descendere: affentari Perſis, antea hostibus, iisque prodere Graeciam turpi pace, tantum ut pecunias ab iis acciperent; fauitia vti in exactionibus bellicis inter externos, etiam, ad quos belli nulla pars pertineret. Et nos alio loco, perspicue, ut opinamur, demonſtrauimus, in mercatura, ut in ceteris artibus quaestuosis, esse *λετρεγιαν* quandam, et munus, quod reipublicae praefetur vſu et fructu, dum praefesti videatur singulis.

Sed haec mercatura quomodo exerceatur, multum refert, auctore CICERONE, si honestatem naturalem retinere velit. Non vult eam esse tenuem, ne quaesticulis minutis apperendis fordes trahat, sed magnam et copiosam, multa multis locis apportantem et multis sine vanitate impertientem, ut liberalius lucretur, nec necessè habeat aut minuta lucra fordide venari, aut ad quaestum fraude contendere; ut porro multis, et dum exercetur, proſit, emendo, vendendo, et lucri copia, vnde redundare aliquid possit ad beneficentiam, ad vſus publicos, et necessarios securitatis, et liberales decoris, in aedificando colendisque agris, hortis, ſimilibusque. Atque etiam satiabilem esse mercaturam vult CICERO, hoc eſt, quae aliquando, quaestu contenta vel exſatiata, redeat in portum otii honesti, atque hoc ipſo ſe honestam et liberalem probet. Nam illiberalitatis inexhausta ſitis eſt.

Sed ad hanc veluti legem sapientiae Virum ampliſſimum, de quo nunc dicimus, exercuisse mercaturam, in promtu eſt. Nam primum genus mercium tractauit eiusmodi, quod manuum artificio cenferetur, elaborareturque intra patriae fines: post, cum inde rem feciſſet, nec minus diligentia, parsimonia, ad aliud genus adiecit animum, in quo maioribus copiis res gereretur, vendendis

operibus sericis et holosericis, quae ipse instituisset copiose texere officinis suis. Quod genus cum aliis de cauſſis, vt eſt, ita censetur honestissimum ac liberaliſſimum, tum quod eſt ad pafcendam tenuem plebeculam accommodatiſſimum. Et ille vere pafcebat, nec faciebat id, quod interdum fieri in tali genere aiunt, vt quaefum ſibi vberiorem redderet operiſtenuiſſima mercede habendis. Sed qua fama, fide, integritate, mercaturam fecerit, nullum certius documentum eſt, quam quod in ordinem Ampliſſimum eſt cooptatus. Denique cum eo ſuccesſu feciſſet, qui ſolet eſſe, cum tali modo res geritur, etiam finem ſibi ſtatuit quaerendi. Nam annis pluribus ante vitae finem, primum filium maiorem adſciuit ſocium; mox ipſe reliquit negotium, et utrique filio permifit. Ex quo tempore ille totus vacauit et curae rerum publicarum, et exercitationibus pietatis, quibus ſe ad futuram vitam adeundam praepararet, praefertim cum et tempora incidiſſent moleſtiſſima iis, quirei publicae procuraſionem ſuſtinerent, et coepiſſet ſubinde admoneri fragilitatis humanae et diſceſſus ab rebus humanis faciendi, per ſenſus fortiores imbecillitatis ſenilis. Sed ut magis Viri virtutes et cauſae earum appareant, age totius vitae curſum perſequemur.

Eius initium habuit Schleizae in Variscis, die prima et viceſima Decembris a. MDCXCIV. a parentibus honestis. Nam pater fuit HENRICVS, qui tum ibi in aula Comitis rationibus rei culinariæ praearat, poſt Blankenhaynae, quod eſt oppidum Comitum Hazfeldiorum in Thuringia, Consulares honores cepit, habuitque in eomunere ſuccesforem filium HENRICVM FRIDERICVM. Ab hoc parente ſuſceptus eſt e DOROTHEA SCHOTTIA, habuitque praeter maiorem illum fratrem, et alterum, qui in hac noſtra vrbe et ipſe mercaturam fecit, et ſororem IOANNAM DOROTHEAM, quac nupsit HENRICO GOTTLIEB BLEIDNERO, in Fisco Ducis Vinariensis exauctor: ex quibus vnum fratrem minorem ſuperſitem habuit, ſed ad breuiſſimum tem-
pus: quippe ſexto decimo poſt eius mortem die apoplexia ablatum.

In quo

Dicitur

Pue-

Puerum magna cura et diligentia aluere parentes, nec modo domi suae, in schola oppidana, erudiendum curarunt iis, quae communiter discuntur ab omnibus, ad religionis et vita communis usus necessarios, sed, quamquam non destinatum studiis doctrinae, tamen adolescentem miserunt Geram, ut ibi in Gymnasio publico disceret literas et artes, quibus ingenia ad humanitatem formantur. Et sic conformatus et excultus demum missus est in hanc urbem ad discendas mercaturae facienda rationes; quarum cognoscendarum facultas ei summa dabatur, cum traditus esset in hanc disciplinam

CHRISTIANO HENRICO et CHRISTOPHORO GEORGIO, WINKLERIS, qui magnam et copiosissimam mercaturam faciebant.

Apud hos septem annos didicit, deinde etiam ad annum usque secundum et viceustum meruit.

Hoc ipso anno coepit adiicere animum ad mercaturam suo nomine faciendam, vendendis operibus artis Phrygiae, quae in finibus nostris magna cum elegantia et exquisita pulchritudine confici curasset. In quo multum etiam adiuabatur ab uxore, quam sibi paulo post adscivater sociam vitae et laborum. Erat enim in ea et exquisitum talium operum iudicium, et cura negotii gerendi prope virilis. Sed ab hoc genere mercaturae transtulit se ad maius et copiosius, instituitque anno quadragesimo in hac urbe, ut ante diximus, officinam texendis sericis et holosericis telis: quarum ita probabatur elegancia, ut copiosissime diuenderentur, alliciente emtores etiam Domini aequitate et fide.

Quae res cum ceteris virtutibus ad eum conuertit oculos primum Collegii mercatorii, deinde etiam Senatus. Itaque septem annis post, ab illo praepositus est rebus communibus curandis; ab hoc, ante hos decem annos, cooptatus est Senator: cui honori etiam Centurionatus Vrbicus paulo post accessit. In his muneribus quanta fide versatus sit, non necesse est dicere, cum constet inter omnes. Sed in-

primis fides eius eluxit proximo bello calamitosissimo, per cuius omnem decursum ille nullum periculum, nullas molestias, quae tum magna vi inguebant in eos, qui rei Ciuitatis publicae praeesserent, nullas ergo defugit, sed magna constantia in statione sua permanerit, et vexationes omnes pro Ciuitate pertulit.

In hac autem tam laboriosa, ad extremum etiam acerumnosa vita, tamen, praeter successus rei gerendae, multa etiam alia laetissima habuit, praesertim e coniugiis, quae ei multis partibus felicissima contigere. Primum duxit a. MDCCXXIV. d. xviii. *Julii SOPHTAM MARGARETHAM*, IO. CHRISTIANI LENTSCHII, Magistri restiariorum, filiam maiorem, nulla alia, quam virtutis et ingenii dote commendatam. Sed id coniugium non modo ea, qua ante diximus, caussa, supra dotatissima felix fuit, verum etiam numero prolis et felicitate liberorum, quos superstites reliquit: nec aliud habuit triste, quam quod maior pars prolis vitalis non fuit. Nam peperit illa decies, sex filios, et totidem filias: IO ANN. FRIDERICVM, d. viii. *Maii* a. MDCCXXV. DOROTH. SOPHIA M, d. xxvi. *Aug.* anno post: IO. HENRICVM, d. ii. *Maii* a. MDCCXXVIII. IO. GOTHELF, d. xxi. *Dec.* a. MDCCXXVIII. SOPHIAM MARGARETHAM, d. v. *Oktobr.* a. MDCCXXXII. CHRIST. HENRIC VM, d. xxl. *Mart.* a. MDCCXXXIV: IO. CAROLVM d. xxiv. *Iun.* a. MDCCXXXV. IO. GOTLIEB et ROSIN. DOROTHEAM VNO partu, d. iii. *Sept.* a. MDCCXXXVI. IOANNAM GVIELMIAM, d. xxviii. *Aug.* a. MDCCXXXVII. iterum eodem partu filias geminas IO. CHRISTIANAM et MARIANAM ROSINAM d. xxx. *Mart.* a. MDCCXL. Vltimo partu, d. iv. *Dec.* a. MDCCXL. filiam enixa est, sed in vtero mortuam: quod triste signum matris aegrotantis fuit. Et illa ab eo partu statim ex inflammatione interna grauiter laborare coepit, quae ei mortem paucis diebus post, d. x. *Dec.* attulit, magno cum luctu liberorum, et graui moerore mariti,

qui

qui eius amore, fide, diligentiaque felici rei familiaris administrandae carendum sibi magno etiam cum incommodo suo videbat.

Ex illo toto numero prolis quamquam tantum tres superstites habuit, tamen in his etiam abunde ei materia suavitatis et laetitiae contigit: primum e filia SOPHIA MARGARETHA, quam omnibus dotibus ingenii et corporis ornatam, felicissime collocauit IO. CHRIST. RICHTERO, Mercatori primario, et Procenturioni urbano: deinde ex utroque filio, IO. FRID. et IO. ANNE CAROL. O, quos sua disciplina ad mercaturam cum laude faciendam institutos, et itineribus per Germaniam et Batauos faciendis excultos, suffecit sibi ipse in negotiacione ab se coepta, et per tot annos feliciter administrata, ut ante diximus, prospiciens ipse animo futuram vtriusque, simillimam suae, felicitatem in re gerenda.

Sed amissa prima vxore, cum res domestica non videretur ferre viduitatem, adiunxit tandem, anno quarto post, animum ad alterum matrimonium, duxitque CHRISTIANAM DOROTHEAM, filiam CAROL. FRID. MENSERI, Senatoris aedilitii, e KVMSTHO-FIA: nec id minus felix caritate mutua, etiam fecunditate fuit. Nam ex ea duos tulit filios, FRIDERICVM CHRISTIANVM, d. XIII. Sept. a. MDCCXLVI. et LUDOVICVM GOTLIEB, d. IV. Sept. a. MDCCCLVI, utrumque patri superstitem: quos et ipsos parenti simillimos fore virtute, fortuna, speramus. Sed hanc quoque Coniugem amisit, d. II. Maii a. MDCCCLXI. tanto maiore cum incommodo et dolore suo, quo magis eius cura et auxilio indigere cooperat corpus, aetate, laboribus, molestiisque bellicis adfectum et fractum.

Nam sub finem anni proxime superioris, pedes inuaserat imbecillitas, quae etiam usum eorum in incessu impediret non parum. Sed ille molestias vincere adsuetus inductione et constantia animi, nihilominus functus erat muneribus, quae sustinebat, omnibus. Et fortasse vicisset etiam illam imbecillitatem per reliquias roboris pristini:



at noua et grauior plaga illa animi, ab morte Vxoris careae, cum accessisset; tum vero labare periculosius corpus coepit. Nam imbecillitas tum pedum, tum totius corporis ita aucta est, vt domi se tenere, et negotiis publicis abstinere cogeretur. Reuocare vires, et fulcire corpus labefactum omni ratione tentabant Medici clarissimi, LUDOVICVS et SEILERVS; videbanturque profecisse aliquid, tum aliis bâneis calidis, tum aquis Lauchstadinis, a quarum vsu meliuscule se habebat: cum paullo post res rediit ad superiorem imbecillitatem, ad quam accessit mox linguae difficultas sermonisque: ad extremum, principio mensis Augusti proxime superioris, tanta debilitas eum oppressit, vt progreedi, nisi sustentatus ab aliis, non posset, et corpus ita prostratum committere lectulo cogeretur.

Adest finem vitae sentiebat. Itaque totus conuersus est ad vitaem alterius curam et cogitationem: in qua adiuuabatur alloquiis crebris et efficacibus M. IO. GOTFR. KOERNERI, Viri Reuerendi, e cuius etiam manibus viaticum corporis et sanguinis I. C. pie et religiose accepit. Ita corroboratus animo, tranquille exspectauit aduentan tem mortem, per quam ab illis molestiis, paucis diebus post, d. xv. Augusti, est liberatus, et ad coelestia gaudia translatus, magno sui desiderio suis, amicis, notis omnibus relictus.

Erat enim in eo ingenium placidum, animus lenis, benignus: nihil vanitatis, nihil arrogantiae: omnia honestate, probitate, concordiae studio moderata. Itaque suis erat indulgentia, benignitate, carus, omnibus facilitate, obsequio, aequitate, gratus.

Has igitur tales, tam ad caritatem et benevolentiam aptas et efficaces virtutes, imitamini, *Cives Carissimi*, vt et viui amore Vestrorum omnium perfueri, mortui autem ornari possitis iudiciis ac desideriis bonorum, quae sunt ἐντάσσα ναλλάτα, ornatus funebris pulcherrimus, immo, in quibus funus ipsum splendidissimum. P. P. Dom. I. p. Trin. A. C. cccccc. lxxv.

Zc 2497 FK.

ULB Halle

007 547 404

3



MC

V. 738.

PK 112
31

MEMORIAM VIRI AMPLISSIMI AC PRUDENTISSIMI IOANNIS FRIDERICI KRVMBHARII

B.I.G.
ORIS CIVITATIS LIPSIENSIS
CENTVRIONIS VRBANI
ET MERCATORIS PRIMARII

XV. AVGVSTI A. C. CICCCCLXIV.

REBVIS HVMANIS EXEMTI
COMMENDAT

E C T O R
ERSITATIS LITERARVM
LIPSIENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.



G. D. Junius.

